

1562

Christophorus Canalis piratarum triremibus potitur. Christophori Canalis in pugna vulnerati obitus, & elogium.

Hieronymi Canalis in patrem pietas.

Senatus in Canalis filios liberalitas.

initur. Nostri pro dignitate, ac vindicta; hostes pro salute, ac vita decertant. Calente marte, dum summi ducis, ac strenui militis Canalis intrepide munere fungitur, ac per triremem arcu armatus (utpote qui sagittandi peritia excelleret) discursans, suos in pugnam acuit, duobus jaculis vulneratur, quorum uno leviter pede fauciatus, altero femore transverberatus est. Nihilominus ingenti constantia a certamine non discedens, cum præ dolore stare non posset, eminentiori triremis loco sedens, suos hortatur; addit animos; instat. Cæsis compluribus, ac Mustapha vulnerato cum aliis in terram defiliante, duabus triremibus potitur. Tres, quæ, fuga arrepta, in Acroceraunios intento quam maxime remigio devehebantur, a nostris insequentibus captæ. Deleti hostes, captivi Christiani libertate donati. Legatus Corcyram devectus, incurabili, ac letali vulnere medicas manus refugiente, intra septimum diem confectus, non minus fortiter, quam pie, & religiose occubuit; ingenti omnium, atque in primis maritimæ militiæ dolore, ac lachrymis. Funus Corcyræ magistratum jussu perhonorifice deductum est. Spectata, atque egregia Hieronymi filii pietas, ac virtus summis exornata laudibus, quod sagittarum hostilium imbrem scuto excipiens, patrem protexit, nunquam postea ab ejus latere, quoad spiritum efflaret, discedens; quem pater moriens ad solidæ virtutis iter capeffendum, fortiterque pro patria insudandum extremo spiritu est cohortatus. Fuit in Christophoro Canali ingenium ad maritimas res tractandas mirifice accommodatum, a teneris annis navalibus studiis innutritum, cujus mox, ad rempublicam accedens, ingens specimen dedit, ac cunctos illius militiæ gradus emensus, percelebre sibi nomen ea tempestate comparavit. Senatus in civem de Republica optime meritum beneficus, ac liberalis extitit. Nam ut ejus liberis quadringenti aurei nummi ex ærario singulis annis penderentur, sanxit; duabus puellis, cum per ætatem liceret, matrimonio jungendis, quatuor aureorum millibus pro dote constitutis. Latum etiam, ut Hieronymo filio, qui ad maritimarum rerum scientiam græcæ, ac latinæ linguæ cognitionem adjunxerat, cum vigesimum attigisset annum, triremis unius præfectura tribueretur, bina aureorum mil-